

Dissertatio medica inauguralis de teneris aegris / [Rudolf Gottlieb Rehfeldt].

Contributors

Rehfeldt, Rudolf Gottlieb.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Literis Chr. Henckelii, [1708]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fbesdt7c>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
TENERIS ÆGRIS,

Quam

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,
*DN. PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI OMNI OBSERVANTIÆ
CULTU PROSEQUENDI,*

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privilegia
DOCTORALIA rite ac legitime capeßendi,
d. Mart. A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
Publicæ Eruditorum Disquisitioni sistet

RUDOLPH. GOTTLIEB REHFELDT,
BEROLIN. MARCH.

18

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30770944>



PROOEMIUM.



Quam pulchrè æquè at-
 què utiliter illum, quisquis Medi-
 cinæ operam navare velit, monet
Hippocrates, Operam dare ut sit Phy-
sicus; tam parum propemodum
 vel intellecta à posterioribus, vel
 in usum decenter deducta videtur

hæc adinonitio à vulgo Practicorum: Quamvis etiam
 multum passim, inprimis Practici, velut empiricè ma-
 gis hanc rem in ore habeant. Non jam placet de eo
 verba perdere, an *Hippocrates* de studio *physico philoso-*
phico, seu *physica in genere*, hic locutus sit; multò minùs
 an de *Physica experimentalì*, *antlia pneumatica Boyleana*,
instrumento Papiniano, &c. an in genere *Democriti* so-
 lertia: in propriâ sphæra, jucundis æquè, atque, sanò
 sensu, veritatis compotibus rebus: cum ipse Hippo-
 crates, antiqua virtute & fide, ut versipelli ambiguita-
 ti occasionem præriperet, claris verbis edisseruerit ve-
 rum locutionis suæ sensum *Lib. de Nat human.* edicen-
 do, quod, qui aliter quam quantum ad artem medica-
 lem pertineat, *Physicis dogmatibus* auscultare consueverint,

à *ſuo ſermone alieni eſſe & abſtinere debeant.* Illud ſolum, ad præſentioſem acceptionem mentis Hippocratis, notandum utique venit, quod, ut ille *indolem* præcipuè *vitalium motuum*, *Natura* nomine intellexit; ita ad minimum in genere hujus *Natura* veram notitiam & conſiderationem, imò verò applicationem & *uſum* præcticum, Medico commendaverit. Sicut autem *ſpecialiores* regiminis hujus motuum etiam *vitalium* variationes, per ipſa *individua* non ſolùm, ſed tantò magis per totos *temporum* ambitus, & alias rerum externarum vices, mirificè variare poſſunt; Ita eſt hinc enata familiariffima illa inter Præcticos æque, inprimis annioſiores, ac ipſos etiam paſſim patientes, loquendi formula: *Der Herr Medicus kenne ſeine / des Patienten / Natur; habe ſeiner Natur rechte Kundſchaft / könne ſich trefflich wohl in ſeine Natur finden: Wan man eines ſeiner Natur nicht rechte Wiſſenſchaft habe / ſo könne man ihm nicht nach Gebühr recht begegnen / ꝛ.* Hæc res cum reverà ſano ſenſu non habeat ſolum certum, ſed ſæpe etiam minimè contemnendum uſum, meretur certè omnino diſquiri, quid circa illam verum haberi, & ad *Medicam* conſiderationem trahi poſſit, imò decenſe animadverſione dignum omnino ſit. Cum autem *Natura* hominis, hoc maxime *Medico* ſenſu, quatenus ad Praxin ipſam reſpicit atque facit, in genere quidem fundetur in *differentiis* ſecundùm ita dicta *temperamenta*, *ætates*, *ſexus*, veluti magis *eſſentialiter*; ſecundùm *potestatem* & *uſum* rerum nonnaturalium, veluti magis *accidentaliter*: Ita ſunt adhuc alia duo genera *ſpecialioris* *Naturæ* per individua variationis, quæ in ipſa Praxi attentionem minimè ſuper-

perficalem passim postulant, nisi quidem alibi *observationes* irritas, alibi *operationes* malas & perperam cedentes, ita passim incurrendi, periculum adire velit. Medicus, ut inopinatos successus nulla alia re excusare sit integrum, quam nusquam propemodum satis moderate audiendo illo, *Non putaram*. Sunt autem hæc duo genera, primò, *Sensibilitas*; TENERITUDO, inquam, tam *textura* corporis, quam *astimationis sensoria*: secundò *Adfuetudo*. De qua posteriore cum jam aliàs actum sit à D.D. Præfide, placuit adhuc etiam de altero illò, loco SPECIMINIS INAUGURALIS, quæ digna sint scitu perlustrare, adeoque rei omninò ad solertem Praxeos administrationem necessariæ, deductione officio meo satisfacere. Meritò vero titulum facimus de TENERIS ÆGRIS; ut ita tantò magis mox in animum venire possit, non postrema in hoc genere efficacia ipsius omninò *textura* corporis, uti diversæ per individua, ita reverà justam passim considerationem postulantis, vel ex ipso veluti primo aspectu, aut levi etiam auditu & pervestigatione.

Largiatur Summi & Unici veri σωτήρ, imbecillitatis etiam nostræ communis, & optime conscii, & maximè misereris, clementia, ut hujus etiam rei evolutione ita perfungamur, uti non solum à nobis intellectæ documentum demus, sed etiam in communem usum commendandæ, sufficiente perspicuitate potiamur.

Quam merito ab ipsis artis Principibus habitus tanquam *robustissimus*, sanè *floridissimus*, velut è sagina productus, *Athleticus*, morbis obnoxius reputatur: eò maximè, secundum speculatorum mentem, quod res mortalium non possint in ipso *summo fastigio* suæ perfectionis *persistere*, quin iterum *descendere* necesse habeant: Ita est certè tantò justior observatio illius constitutionis, quæ jam ab universa sui proportionem, nempe conspicua veluti *fragilitate*, tanto justius his iisdem periculis metuendis obnoxia, summo jure agnoscenda venit: *Habitus* inquam *corporis* evidenter *debilis*, & quorumlibet rudiorum incursum tanquam ad manifestum sensum intolerans. Talis nempe qui etiam vulgo è conspicua *teneritudine*, *infirmus* judicatur.

II.

Quamvis enim minimè cum illis facere in animo habeamus, qui habitum corporis ad subeundas læsiones, simpliciter in *materiali* constitutione corporis collocant; cum sanè, si quis alius, non solum abunde sciamus, sed etiam affatim meminerimus, quod etiam *optima prorsus* constitutio corporis *materialis*, quam maximè exposita sit, imò *præceps* prorsus, ad varias non solum, sed quam maximè supremas, & omnium gravissimas, violationes atque *corruptiones*: Est tamen omninò illud præcipuum ferè, & planè quasi constantissimum Oeconomix corporis humani institutum, ut, sicuti *mores temperamentum*, ita *vires*, conspicuam *texturam*, & sano sensu *firmamentum* corporis, sequantur.

III.

Ubi quidem, quemadmodum universæ *structuræ*, ad *gestus* & *voluntarias* actiones pertinentis, habitus, (*Physiognomie* vulgo dictæ fundamentum,) tantam in se habet veritatis energiam, ut etiam omnes homines velut absolutè, ne
in-

infantili quidem ætate excepta, simul atque gestibus conceptuum suorum indicium facere valent, veras inde consequentias eliciant indolis ipsius *animi* intimioris; ita non multum propemodum ab hac constitutione abit etiam illa, quando conspicua *texturæ* summa teneritudine, etiam sub reliqua sana ad sensum constitutione, tamen vel omnium hominum subsumtio inde prognascitur, solche Person seye / dem Ansehen nach / sehr kleinlich / zärtlich / weichlich / schwächlich: Si vero etiam aliquid evidentius *debile*, ipso mox *aspectu* aut *gestu* præ se ferant, fundatur ibi tantò promptius suspicio & enunciatio hominum, es seye gewiß eine schwächliche fränckliche Person / wie aus ihrer üblen Farbe / üblen Aussehen / abzunehmen scheine.

IV.

Ut autem ordine aliquo progrediamur, & inprimis *alteram* illam circumstantiam *teneritudinis* hujusmodi, à *vitali robore* alienioris, quæ peculiari *æstimationi sensitivæ* innititur, & solo *aspectu* satis deprehendi non potest, ad suam tribum reducere valeamus, memorabimus antè omnia paulò apertius, quidnam *tenerorum* ægrorum nomine inprimis intelligamus: & deinde etiam subjiciemus, à quibus præcipue causis hæc constitutio cooriri soleat: & quomodo denique Medicæ considerationi adhiberi illam æquum sit.

V.

Volumus itaque, antè omnia, intellectos, sub Ægrorum *tenerorum* nomine tales, qui 1) ad ipsum *aspectum*, *textura* corporis omninò sunt tenuiore in omnem veluti dimensionem; 2) & aliàs *laborum*, & *ægritudinum* corporis imperiti: si illis deinde, præsertim *ex improvviso*, & simul cum qualicunque *vehementia*, *laboriosa* talis constitutio objiciatur: Præsertim tamen sub qualicunque etiam modò memoratæ *texturæ* tenerioris concursu. 3) Qui *animo* sunt *inquietiores*; sive *impatientia*, *iracunda*, *fastidiosa* atque *tædiosa*; sive *metu*, *sollicitudine*, *anxietate*: & inprimis quidem non magis man-

nifesta atque vehemente, quam *taciturnâ* & quasi *clandestina* hujusmodi constitutione. 4) Qui ad *speciales* certos actus & effectus, minimè omnium *adsuefacti* sunt, & nulla probabili *aptitudine* ad eam rem dispositi: Imò potius *aliena* dispositione, & tanquam *positivâ* à talibus rebus alienatione, conspici: 5) Qui non solum *morbida* quadam perturbatione, à tranquillitate sinceræ sanitatis alienati: sed *specialissimè*, 6) peculiaris ejusmodi indolis speciebus morbidis, obsidentur, quæ peculiarem *ἀνέστησιν* involvant, quæ non difficulter quidem *possit*, sed non sine *periculo* debeat, turbari.

VI.

Primi ordinis *teneritas* vti quàm maxime in comparatione *ætatum*, valdè *juvenis* ad *auctiorem* etiam quadantenus, sese exferit; unde etiam usitata loquendi formula, *teneram* ætatem *firmitori* contradistingvit: Ita valet tamen etiam specialior illa acceptio, eo usque, ut omninò etiam in tenera qualibet *ætate* adhuc *discrimen* exquisitius subsit, secundum omnes reliquos allegatos respectus æque, atque hunc ipsum etiam, *texture* diversam rationem. Quandoquidem, uti manifesta utique est crasso sensui diversitas *firmitatis* atque *roboris* corporis infantilis, in comparatione ad *adultum*; ita non est etiam dubia mediocri animi adversioni, differentia *roboris* unius infantis, cum altero comparati. Ubi utique illa disparitas, etiam *ætati* proportionata, *magnitudinis*, *densitatis*, *firmitatis*, *alacritatis*, *confidentiae*, *intrepide activitatis*; antè oculos ipsos versatur: facile comparanda ad *exiguitatem*, *exilitatem*, *imbecillitatem*, *meticulositatem* aliorum, reliquis circumstantiis parium.

VII.

Et hoc, inquam, valet ita etiam per omnes ætates, ut alii etiam hanc, de quâ loquimur, totius texture *teneritatem* habeant; quâ, in comparatione cum aliis, quoque modo *firmitoribus*, necessariam faciant, etiam pro legitima Medicâ sui considerata.

deratione atque tractatione hanc discretionem, in *Pathologia* inquam, & ipsa maxima *Praxi* bene ponderandam.

IIX.

Secundi ordinis, sunt tales, qui non solum ipso usu, à *laboribus*, tam voluntariis, quam *vitalibus* inuoluntariis impedi-
mentis, à *morbida constitutione*, immunes; sed etiam ipsius *temperamenti*, tanquam generalissimi habitus vitalium motuum, proportionibus, ab omni *laboriosa* & *impedita* motuum ratione alieni: posthac deuoluuntur in eiusmodi implicationem atq; difficultatem suarum rerum. Sub quâ manifestò *trepididi, anxii, pavidii, inquieti, abjecto animo* atque *spe, perturbati* & *confusi*, non solum in *arbitrariis* actibus omnis boni *consilii* æque atque bonæ *spei* impotes sese exhibent: ut deinde tantò magis, quicquid adhuc ultrà, præter solitum, *circumspectè, ordinatè, proportionatè*, agendum incumberet, illud omne non nisi *turbulenter*, & suscipiant & prosequantur: Tanto magis autem, si jam ita *trepididis* atque *conturbatis*, ulterior denuò obicitur exagitatio; nec ipsis, neque reliquarum illarum jam alienarum rerum, *salutari* depulsioni aut infractioni favens, aut ullo modo rectè conveniens, sed potius quolibet intuitu novas turbas incutiens.

IX.

Tertii ordinis sunt illi, qui etiam è *temperamento*, (quod *animi mores* in proportionem activitatis simpliciter sequi solent,) tum etiam ex *adscititio* habitu, animi manifesta *agilitate turbulenta* facillè afficiuntur. In qua re maxime notabilis est præceptum illa *patheticarum* hujusmodi turbulentarum intentionum efficacia, etiam in ipsius *vitalium* actionum ordinis tenorem, temerè obturbandum. Quamvis enim illa sò præcedente jam allegata, hujus generis *interna*, & in ipsa *recordatione* non æque occurrens, *vitalium* actionum earumque proportionis peculiaris, variatio, utique satis memorabilem habeat efficaciam, ad *inordinatos* atque *turbidos* motus incitandos, qui in ejus etiam classis

ordinatione indole non occurrant: distant tamen plurimum ab his, de quibus in præfenti est fermo, in eo maximè, quod illæ quidem veluti *tacito* quodam successu atque progressu, fiant: hæ vero *præsentaneis* quam maxime certis *insultibus*, tanquam uno *impetu*, coorientes, non solum *simul & semel* res in dubium adducant: sed etiam hoc ipsum tanto cum *impetu* familiariter perpetrent, ut inde ipsi & universæ *perturbationi* magnum momentum accedat, & *revocationi* etiam ad majorem tranquillitatem, & universam convenientem placidam actionum seriem, pervicax impedimentum ita obiciatur.

X.

Sicut autem in Praxi certè etiam Medica, passim, summa est consideratio *adsuetudinis & insuetudinis*: ita exferit se illa etiam tanquam generatim, ipso hoc specimine, majoris inde subnascentis *sensibilitatis*, quando circa ejusmodi res aliquid eximiè *novatur*. Tanto magis autem, si etiam ad *contrarium* ejus, quod fert talis *assuetudo*, fiat transitus. Sicut enim certè minimè de nihilo plane est illa vulgata locutio, quod *Consuetudo sit altera natura*: nempè *ingenium* veluti peculiariter instruat, ad tales res, ad quas *per se* directè atque simpliciter non ferebatur: Ita meretur tanto magis hic considerari, non *locutio* solum illa, sed etiam universa potius rei *veritas*; quod, quæcunque deinde contrà eximiam hujusmodi *Consuetudinem* fiunt, secundum hæc individua quibus ita eveniunt, sano sensu revera dicantur & recte intelligantur *præter naturam* fieri: contrà totam dico *indolem, ingenium, inclinationem, tolerantiam*, nedum *acceptabilem* atque vere *salutarem* harum rerum intentionem. Et hoc cum *ordinariis* omninò atque plane solitis reliquis consecutionibus, quæ ad res ut ita, (quamvis etiam per individua solum) *adversissimas*, ulterius usu venire solent.

XI.

Jam, uti neminem propemodùm quantacunque circum-
spe-

specie circà Praxin utentem, fallit, quod homines ad unum omnes, quando *morbis* actu corripuntur, valdè minus *tolerantium* sint virium, & quolibet vocabuli sensu, verè *imbecilliores*, quàm quamdiu *sani* degunt: Ita est utique passim consideratu digna, etiam illa specialis observatio, quod etiam circà quaslibet *medicamentosas* ferè energias, & ab his oriundas *alterationes*, in statu corporis jam per morbum, *concusso*, longè manifestior sit major activitas, quàm in statu adhuc sincerè sibi constante. Ut nihil tanquam insigniter anticipando, de *activioribus* medicamentis dicamus, vix certe homo est, qui nesciat, quantum passim *mutationis* sensibilis, (etiam in iis, qui ceteroquin non plane infirmi sunt,) quando morbo corripuntur, aut apud *puerperas* plerasque, possit, vel moderatus admodum, *usus vini*: aut apud has posteriores, *potus* ultra æstivum teporem *frigidus*: Sicut etiam *refrigeratio*, in comparatione ad *sanum* statum, etiam *levissima*; quid passim possit in plerisque gravius ægrotantibus, quocunque tandem sint reliquo corporis *robore*, neminem hominem fugit.

XII.

Tantò magis autem ab hac generaliore in *morbida* constitutione, *teneritudine* sensibilitatis, procedit specialior, & cerè exquisitissima è *certorum* morborum propria specifica hujusmodi *ἀναισθησία*, *commotionis*, *ordinis*, *successuum*, &, nisi hæc exquisitè procedant omnia etiam ingentis *periculi*. Sicut enim in hujusmodi morbis manifesta concurrit, & multiplex quidem, tam manifestarum sensus *æstimationum* ingens intensio; ut quilibet *dolor*, quælibet *angustia*, quælibet propemodum morbi *duratio*, nedum longa *pertinacia*, ægrum, præter mores ejus usitatos, *impatientem*, *timidum*, *anxium*, de universo exitu male sperantem, reddat: in *mixto* autem illo negotio, *quietis*, *sensoriæ*, *somno*, maximopere turbet & alteret: Ita est etiam manifesta, ipsa illa totius *sensibilitatis* in ejusmodi constitutionibus *teneritudo*, ut non

solum *saporem* & *odorem* omnia facile percellant & molestia afficiant; *visum* etiam lumen familiariter offendat, *obscuritas* autem vel mediocris, præter solitum destituat: *auditum* ita omnia concitent, ut non solum *strepitus* valde moleste accidant, sed etiam ita acutè feriant, ut inde *somnus* etiam qualitercunque obrepens, præsentissimè turbetur: sed etiam *tactus* ipse, jam *frigoris* & *caloris*, jam quarumcunque aliarum tangibilium molestiarum, tanta in his casibus sit *impatientia*, quanta vix in *tenerissimo*, cetera sano, corpore, hinc expectari posset.

XIII.

In his autem ipsis ita adhuc subalternis speciebus, involvunt specialissimam considerationem, certæ præ reliquis *species*; v. g. *Febres malignæ contagiosæ*, tenui *miasmate* innitentes, & *inflammatoriæ viscerum*: Summum autem totius hujus negotii fastigium occupant *momenta* exquisitè *periodica* & *Critica*, cum suis directis *apparatibus* atque *concurribus*.

XIV.

In talibus enim, brevibus & ancipitibus *opportunitatibus*, in quibus Natura, vix, & prudentissimâ, & dexterissimâ, *artis* sublevatione usquam *gaudere* solet; imo vel solum illam *æqui bonique consulere*: quanta inquam, ibi sit sensibilitas atque summa teneritudo, ad quoquo modo his scopis adversantia, uti quidem historiam harum rerum è Praxi non percipientibus, de reliquo certe imperceptibile est: ita habent, ex adverso perspectissimum, docti æquè atquè periti Practici, loquitur autem funestis passim exemplis locupletior, quàm certè omnibus votis optandum esset, experientia, quando *periodicis diebus*, *criticis*, aut fonticis, *eccriticis* solum *temporibus*, *motibus*, imò solum *materiarum dispositionibus*, inconveniens aliqua talis *obturbatio* objicitur, è qua deinde *irrevocabiles* omnium bonorum motuum *successus*.

cessus, ordinis, perseverantiæ, amissio, imò totius *energiae* tanquam disparitio incorrigibilis, subsequuntur.

XV.

Ubi quidem præcipuam etiam partem sibi vendicat, ipsi quoque rationi conformis, lenioris, *moderati* atque *ordinati*, *assidui* interim & non interrumpendi, *successus secretorii & excretorii, inflammatoriarum, & contagiosarum*, tenerrima *sensibilitas*. Sicut enim spes est non ita amplius vana, fore, ut latius percrebescat, testante utique quotidiana experientia, observatio illa *Sydenhamii de Variolis*; quod intempestivæ atque superfluæ illarum *concitationes* expulso-riæ, non solum gravia, sed passim etiam irreparabilia damna, toti affectui concilient. (Quo quidem respectu certè animi adversione digna est illa observatio, quod è tot *millenariis*, civilium atque rusticorum infantum, rarissimi variolis moriantur: quantumlibet etiam circa illas res, quæ justa vulgarem artem quamplurimum inculpantur, nullam prorsus exactam custodiam experiantur: E contra verò, illorum demum, qui per quantumcunque activiora *medicamenta* tractantur, & *regiminibus* intempestivis aut superfluis subjiciuntur, multi passim intereant) Ita noverunt jam ab omni antiquitate Practici periti, & observabunt etiam perpetuò, idoneâ solertiâ instructi, quanta sit, rudi sensui *leviorum* apparentium, *perturbationum*, in *inflammatoriis internis, rheumatico-Erysipelaceis* ad interiora percussis, funesta efficacia, quando indoctè atque imperitè, *impetus* in illas agitur, ante omnià autem specialissimè, *intempestivus*.

XVI.

Qui vero energiam *commotionum* atque *translationum* sanguinis, & prognatarum jam qualiumcunque hujusmodi adfuetudinum, è vera Clinica practica historiâ, imo etiam verarum causarum *occasionalium* historia, cum *moribus* & progressibus seu *motibus* talium affectuum, verè intelligere didicerit; ille tantò faciliùs comprehendet, quid sibi velint

triviales illæ incusationes, quod *salia scorbutica* excitata, mirificas tales turbas concipiant & exercean. Quando enim è Praxi animadverterit, quod illæ tales turbæ non concitentur, nisi vel occasionibus ab vehementibus *turgesfactoriis*; vel *intempestivè*, aut plane una cum istis, viarum *constrictoriis*, vel alieno tempore objectis *narcoticis*, vel immodicis æquè, atque alienissimo tempore, aut *flatulentæ* & *hypochondriaco-spasticæ* constitutioni, objectis *vomitoriis*, aut ambiguis & heteroclitæ efficacæ *purgantibus*, aut *præposteris* tempore, & *importunis* activitate aut duratione, aut tota destinatione, *regiminibus*: vel denique à consuetarum evacuationum, imprimis præsentis habitui corporis quadrantium, temerariis *suppressionibus*, vel ad *aliena loca* compulsionibus: vel tandem animi pathematum improvisorum *violentis*: facile sine dubio comprehendet, quid de illis *salibus* sperare aut timere conveniat.

XVII.

Sicut autem, qui *actu* morbo jam qualicunque correpti sunt, *teneram* eo tempore *sensibilitatem* præ se ferunt; ita certe minimè à simili *promptitudine ad sensationem*, alieni sunt illi, qui à *morbis* nondum firmiter *convalescerunt*, & toti, quod ajunt, ad se redierunt. Tales enim familiarissimum utique est, *facile*, & *graviter* quidem, *offendi* à qualibuscunque incommodis, quæ reverà laborem facessere possint œconomix humanæ: Unde quidem sic affecti, ab *acutis* adhuc morbis, præsentissime quam vulgò vocant *recidivam* incurrunt: à quibuslibet autem, novos *langvores*, aut antiquorum novam quandam & verè diuturnam, *pertinaciam*, experiuntur: Et rerum, quas sano tempore sine omni incommodo toleraverant, hâc tali constitutione penitus, aut certè plurimum impatientes, imò impotes, existunt.

XVIII.

Inter *adsvetudines* communis magis moris, nempè *diuturno*, aut frequentissimè *repetito*, actui succedentes, & hæ-

hereditariam dispositionem, cum singulari animi *impresione* *pathetica* factam, medio quasi loco se habet, (nisi quod *hereditariae* dispositioni multò propius accedere videtur) *Sensibilitas* illa peculiaris, *aversionem anxiam* complectens, quæ remanet ab *ingurgitatione* intemperante certi alicujus cibi aut potus daß man sich an einer Speiß oder Trancß einen Ecket zuziehet/) ut etiam *in perpetuum* à tali materia constans *fastidium, nausea, ad cardialgiam, anxietats, vomitus* usque, remaneat: Aut etiam *medicamentosa* aliqua *violenta* efficacia, aut ingens talium fastidium, materia talis aliqua *alimentaris*, cum quâ tale concretum *vehiculi* loco assumtum fuit, in tantam *aversionem* adducatur, ut in posterum hoc ipsum denudò assumere, citra summas *nauseæ, cardialgiæ, anxietatum, vomituum*, præsentissimas turbas, nequaquam liceat.

XIX.

Placet exemplum Sensibilitatis, à prægressâ ejusmodi *nauseosa* aversione, & inde secuti inexpectati sinistri successus, commemorare. Virgo 18. annorum, grassantibus, *Febribus petechizantibus*, cum sorore 15. annorum, correpta tali Febre decumbebat; ita tamen, ut junior hæc, duobus diebus ferius malè habere inciperet. Medicus vocatus ad majorem, præscribebat *vomitorium pulvillum*. Exagitabat hîc patientem, præter opinionem, gravissimè. Medicus nihil ultra ordinabat præter Aquas Borruginis, Buglossæ, Cerafor. nigr. Flor. tiliaë, Cornu Cervi sine igne, cum modico Antimonii diaphoretici. Patiens viribus suprâ modum, exhaustis, jacebat ita per *quinque* continuos dies; usitatâ illa formulâ, nihil sibi esse mali, nisi quod adeò sit debilis, sensus suos exprimens. Cum *sexti* diei, à morbi initio, vesperrâ, ex itinere reversus alius Medicus, instantissimè rogaretur consilium, offerebat *pulvillum* è Matre perlarum præparata, Bezoardico minerali optimo, & Cinnabari antimonii: Hujus tres doses offerebantur, quarum *unam* hæc patiens, illa vesperra; *alteram* versus tempus matutinum: reliquam autem *soror* pariter ita de-

decumbens, eadem vespera fumere deberent. Fiebat hoc; sed corripiebatur illa major natu, *cardialgiis* & *vomendi conatibus* immanissimis: quamobrem etiam alteram dosin ipsi exhibere reformidabant. Nunciabatur autem Medico hic eventus summo mane; Pulveres sine reliquo discrimine & parati erant & præsentati: *Minor* natu, à sua dosi nihil quicquam commotionis senserat. Cum itaque, exquisitiore scrutinio, denique perceptum esset, quod virgo hæc, à primo illo *pulvere vomitorio* conceptâ ingente abhorrescentia, cum hic *hæsternus* ipsi offerretur, non solum recordata sit illius, sed etiam metuerit, ne fortè hic quoque pari scopo destinatus sit: unde ipsum cum ingente *fastidio*, coacta prorsus, assumeret, cum *statim post* insecuto vehemente illo *vomendi* conatu: Medicus, ne quid calumniæ relinqueret loci, persuasit patienti illo mane, ut dosin illam quæ adhuc residua erat, omninò assumeret; à qua etiam nullus usquam ulterior impetuofus effectus secutus est. Interim reverà, ab illa etiam novâ violentâ corporis, œconomix vitalis, imò ipsius animi, *anxia perturbatione*, quæ maximam partem noctis *anxiis* illis *conatibus* & *opinionibus* vomendi occupaverat, adhuc magis absuntæ vires, non dabant locum restaurationi, unde nono die mortua est. Certissimè autem hic nocebat, *Sensibilitas* illa, etiam ex parte *pathetica* simpliciter seu *imaginaria*, à vomitorio sub *pulverulenta* forma, in initio morbi assumpto.

XX.

Quemadmodum autem certè summæ considerationis, & latissimi ambitus, atque numerosissimi proventus est utique hæc *Teneritudo* seu sensibilitas Naturæ, quæ ex ipsa indole & successibus hujusmodi vulgo dictis *morbidis* seu insolentibus ortum suum ducit; Est tamen utique illud maxime, uti rationi obvium, ita etiam ad usum notandum, (cum soepè apertissima maximè negligantur) quod hæ circumstantiæ tantò majorem vim habeant, quanto *plures* illarum concurrunt: cum etiam *singulæ* conspicuâ energiâ non destituantur.

XXI.

Secundùm has autem communes circumstantias, veni-
etiam notanda omninò propria *sexui*, veluti *prærogativa*
majoris ejusmodi *sensibilitatis* seu *Teneritudinis*; dum uti-
que non solum *in specie*, circà idem objectum, foeminae sen-
sibilius commoveri solent, secundùm enumeratas circum-
stantias: sed etiam collectim, ad universas tales, longè pro-
niores atque promptiores inveniuntur: Tantò magis, cum
non solum causæ illæ *antecedentes*, ad commotiones citio-
res & fortiores, sanguinis *translatorias* & impulsorias *spasti-*
cas in his præcellant: Sed fere etiam plura *animi pathema-*
tum incommoda, his facile negotium faceffant, præ pleris-
que Viris.

XXII.

Sicut autem hæ sunt veluti certæ atque directæ condi-
tiones, per quas homines, *Teneritudine* tali peculiari, tam
ad morbos quam *in morbis*, diversimodè sese gerunt, & alii
aliis gravius, ab illis æque, ac à *medicationibus*, quomodo-
cunque à directo verò scopo *aberrantibus*, sese gerunt: ita
venit adhuc notandum de *gradibus* veluti certis, exactiore
vero consideratione potius *causis* dicendis, hujusmodi con-
stitutionis in ipsum effectum deducendæ, quod teneritudi-
nem talem præcipuè & maximopere foveat, imò velut exa-
cuet, vulgo hominum dicta *plenitudo sanitatis*; Habitus
aspectu maxime *floridus*, reipsa vero eximiè *plethoricus*. Sic-
ut enim talis status, primus est gradus à fastigio veluti sani-
tatis descendendi, juxtà antiquam interpretationem; ita
contingit minimè rarò, ut gressus jam spontè vacillantes,
non in festinationem, sed in præcipitium impellantur. Il-
lud certè primæ in hoc genere & verè supremæ veritatis est,
quod *plethorica* constitutio, cum *teneritudine solidæ textu-*
ræ corporis insigni, & *intemperantia* qualicunque, in pri-
mis *animi*, *aëris*, *motuum* localium, & *debitarum excretio-*
num, ante omnia ipsius fortè *sanguinis*, concurrans; in pri-
mis

mis autem in *morbidas* jam *commotiones* devoluta, effectus exhibeat, ab adversa constitutione *robustioris* texturæ atque *consuetudinis*, immensum quantum diversos, & verè quod ajunt, geometricum progressum servantes.

XXIII.

Si verò jam ad *Causas* Teneritudinis hujusmodi animum applicemus, non quidem alienum est à verisimilitudine, quod etiam ipsius *texturæ* subtilitas, non solum subtilioribus *objectis* sensualibus, sed etiam maxime subtiliori actioni sensus *provocatorie*, quadret; interim, cum etiam propemodum familiariter, nisi quidem potius absolutè perpetuò, observetur quod in teneriore ejusmodi, à *structurâ*, corpore, indoles etiam animi ipsa *agilior*, *vigilantior*, & velut *acrior*, habitare soleat: (si præsertim textura illa & structura, non ab aliquo vitio accidentali insigni, & per modum simplicioris defectus in conformando, ortum duxerit) est certe magis verisimiliter respicienda hic *activitas*, secundum oblatos *sensus*, peculiare *motus* ad certos *fines* seu eventus, subeundi & exsequendi, quam directa & simplex *activitas* objectorum, & *receptivitas* organorum, directè ab objectis affecta.

XXIV.

Illustrare vero potest hanc veluti generaliore causalem rationem, altera *specialior*, agendi atque fiendi causalis relatio. Eminentissima utique talis, tam concitata *sensibilitatis*, quam *pertinaciæ* ad peculiare eventus & effectus connitenti, vera docimasia, est in genere in *motibus* & *apparatibus* ad *excussiones sanguineas*, non forte solum *pertinentibus*, & qualicunque impetu in illas exeuntibus: sed verè ad tales reipsa *pertinentibus*, & ad easdem absolvendas, ut ad effectum pro reali scopo præfixum, etiam omni nisu & *pervicacia contendentibus*.

XXV.

Quod ipsum ne iterum crasso solum modo pro simplici

ci corporali mechanica impulsione, atque incumbente veluti onere, venditari possit, dissuadet maximè duplex illa circumstantia, quod non solum generalius, debitæ aliàs, (*instito aut adscito motu*), *exonerationes* v. g. sanguinæ, si aliunde in debito sui exitu impediuntur, certissimas post se trahant hujusmodi teneritudines *sensibilitatis*: sed etiam easdem & *præsentissimas* atque gravissimas, & *pertinacissimas*: Pertinacia verò in illud unum *contendente*, ut ita debitum sibi exitum pro his rebus, Natura assequatur. Dum interim, simulatque illum *tempestivè* & satis *placidè* ita impetrat & assequitur, & quantò magis quidem hoc fit, tantò magis etiam hanc indolem *sensibilitatis* iterum *amittit*.

XXVI.

Quæ res, ne, pro more, iterum ita atque iterum simpliciter corporalibus *lapsibus* & *incubitu* imputari valeat, obstat, imprimis efficacia, in hoc genere suprema prorsus & exquisitissima penitus, *Adsuetudinis*. Quæ ut in genere non tam circa *materias*, quam ipsos *motus*, occupata est; & præterea, nimio præsentius æque atque omnimodè efficacius, omnes etiam hujus generis *concitationes*, quæ teneræ *sensibilitati* adscribi possunt, longe efficacius & præsentius ab *animi pathematibus* incitantur: Et tandem adeò *motibus* potius, quam *materiis* peculiaribus insistent, ut etiam quam sæpissimè revera nudos atque simplices *motus* quam maxime forment: Potest hinc utique decente consideratione atque æstimatione faciliùs comprehendere, quænam sit in hoc genere energia ipsius utique *consuetudinis*, & an *motibus* veriùs, an vero *humoribus*, tribuenda videatur.

XXVII.

Tantò evidentior autem est in hoc genere energia *hereditariæ dispositionis*. Quæ cum non solum nihil aliud sit, in evidentissimis casibus, quam *motuum* peculiaris *idea ad agendum* & *in agendo*: interim summa sit ejus efficacia ad hujusmodi eventus *sensibilitatis*: potest hinc utique facile

colligi, quanta sit, imò verò qualis, harum rerum energia, ad hujusmodi eventus introducendos. Summum autem utique, ad universas has res, fastigium, assequitur illa tanquam hæreditaria in sobolem transmissio, quæ per *imaginationem matris* imprimitur. Hanc ullo modo *corporeum* quiddam existere, aut ullo corporali *respectu* quicquam perficere non solum nemo crediderit; sed faciliè potius agnovit, quod simpliciter universum negotium, & ortum sit & superstructum (præter primam simplicem apprehensionem *præsentiae*) *æstimationibus*, & ipsis quidem insuper adhuc perversis, nempe *fictitiis*. Interim quanta sit talium impressionum efficacia, uti fere vulgò notum est: ita si quidem speculatione rem attentius scrutari libuerit, vix quisquam certè faciliè dubitaverit, quod ipsa hæc talis *æstimatoria* perversa *intensio* & *intentio*, præcipuum etiam conferre videatur ad illam simplicem adeò promptam etiam perceptionem totius *præsentiae*. Sicut aliàs, attendentibus non potest non notissimum esse, quod illi maximè homines, v.g. *odorem* qualemcunque, aut *saporem* quantumlibet longè *tenuissimum* aliorum non peculiariter animum eo intendentium sensibus, tamen citissimè & exquisitissimè agnoscant, qui rem illo odore aut sapore imbutam, vel peculiariter *jucundam* vel *adversam* ducunt. Ita valet certe hujusmodi applicatio etiam ad summè ita *exosarum* rerum, adeo summe exquisitam etiam *perceptionem*, quæ *crassum olfactum*, *gustum*, aut *tactum*, nullo modo percellant. Specimen eximium inter multa alia, est in *Actis Anglicanis Oldenb.* Ubi mulieri, in Ulcusculo cruris applicitum *mel*, quod aliàs summe averfabatur, in ita dicto *digestivo* fortè, tam vehementia symptomata concitavit, quorum nemo hariolari potuisset ortum, nisi ipsi tandem patienti in mentem venisset de mellis præsentia suspicari, adeoque monente illa ablatum hoc esset. Summe notabili certe efficacia tali, quæ aliàs circa *saporem* aut *odorem* propriè occupata, hic etiam circa loca quibus nihil nisi

simplex tactus competat, tamen tantas turbas, quantæ ab ulla vehementi *aversione* expectari poterant, concitavit.

XXIIX

Ex his itaque universis rebus *Physicam* utique Theoriam elicere, uti propositi nostri non est, revera vero, si vel maximè usum ullum haberet assequi talem simpliciter irritum est & ab omni bona spe alienum: *Morales* autem etiam respectus, quamvis veritati manifestius consonos, tamen si absolutè spectentur, etiam non omnibus satis intelligendos, prolixè deducere vix sit operæ pretium: Ita conveniet tamen æque, atque sufficiet etiam, nostro *Medico*, scopo & usui, illum solum respectum asserere: quod pleræque hujusmodi *sensibilitates*, ad respectum *nocumentorum* utique, rationem veram atque certam habeant; circa rerum inquam talium, *molestiæ*, aut planè *damni* inferendi, habilitatem versentur: adeò ut in genere *aliqualis* ab illis *aversio*, quantum *cautioni* satis esset, nequaquam certè *aliena*, *vana*, aut *falsa* sit, sed potius veræ rerum indoli mutue consentanea; vitium autem solum sit in *quantitate* aversionis aut timoris, & inde vel nimium *trepida*, vel nimium *violenta* atque *turbulenta præter proportionem* suscepta resistendi aut excutiendi *contentione*.

XXIX.

Quo nempe intuitu tanto magis etiam à posteriori, in ipsa talium subjectorum *Medicæ* tractatione, cavendum venit, ne sic affectis, temerè præter quaslibet alias jam ipsis incumbentes concitationes aut trepidationes, ulterioribus *stimulis* aut oneribus objectis, spontanea illa ad erroneas actiones propensio ita magis in actum deducatur.

XXX.

Interim omni modo monemus & asseveramus, esse utique has res ad Medicam *Practicam* considerationem, tanti ponderis, ut illa neglectim habita, in Praxi numerosiore, non possit solum multas turbas objicere; sed revera potius

non possit hoc non facere, si vel tantillum vegetiorum concitationum placeat methodus. Enimverò, quantum passim damnum, ab hoc minus quàm convenit animadverso pervertendi boni scopi scopulo, etiam in *traditiones, commemorationes, commentationes & commendationes* medico practicas, redundet; dum inter *robustos, plebejos, opifices operarios, dura educatione duratos*; quin etiam reassumtis mox *laboriosis motibus*, objectas œconomix corporis injurias, excutientes iterum & emendantes, passim tolerabiliter exeuntes etiam ferè quantælibet ejusmodi *violentiores* turbationes, mox deinde tanquam re optime gesta, pro exemplis ita ponuntur, ad quæ felicissimè etiam inter *teneros, sensibiles*, imò *debiles*, instruenda sit imitatio.

XXXI.

Ubi certe dolendum potius est, quod tanquam ad jocularis fabellas redierint ejusmodi historiae, qualis est illa, jam pueris propemodum ubique nota, vom Schmid in Westphalen; Interim, si pro dignitate sua aestimaretur, res potius ipsa, uti verè est, quam talis una & ludicra habita circumstantia; facile profecto invenirentur ingenti numero plures hujusmodi *species factorum*, quæ neque multo *prudentius*, si res rectè aestimetur, coeptæ, etiam longe deterius passim exeant, nedum toties jam exiverint.

XXXII.

Commendamus autem illud unum, ut inter lectionem *historiolarum* talium Practicarum, quibus vehementiores *methodi concitatoriae*, orbi venditantur, solum illa adhibeatur animi adversio, ut, si quidem etiam illud adhuc servatum est in perditis illis hodiernis commemorandi talia methodis, saltem animus advertatur ad conditionem tum totarum *Civitatum*, tum *individuum*, quibus talia adhibita fuisse laudentur. Ubi partim *pagorum, oppidorum*, imò *urbium* passim notiores *vivendi rationes*, à *molliore cultu*, aut *luxu*, inter juniores aut seniores alieniores; partim etiam

officiorum, imò *opificiorum* rationes peculiare, facile monstrabunt, quid passim in facienda applicatione ad imitationem ex eodem fontes & eodem respectu, apud alios diverso modo constitutos, minus convenire possit.

XXXIII.

Sicut enim ex illo etiam joco serio specimine, facile vel totius ejus provinciæ character ita in considerationem venire potest; quomodo *victui duriori* assuetis, tolerabiliores sint etiam leves, in illorum moribus, aberrationes, quæ diverso modo constitutis, certa damna conciliatura sint: Ita tantò magis, si quid penitus *insolitum* & vere *intolerabile*, neque nisi magno *robore*, *agendum* aut *patendum* occurrat, quæ hujusmodi diversis constitutionibus turbæ dari possint, si minus ad tolerandum habilibus objiciantur, uti simplici sana ratione facile est comprehendere, ita convenit certe etiam prudenter eo magis ad *usum* ipsum transferre.

XXXIV.

Habet enim hæc utique res primò generalissimum illum USUM à priori, ut omninò recte perpendatur indoles hæc patientium, *per ipsa individua*, neque quidquam temerè & *indifferenter* vel præscribatur, vel agatur. A posteriori vero etiam, quando *inexpectatus*, & prorsus *insolitus* heteroclitus effectus contingit, vera clavis ad aperendam ut in re dubia veritatem, manifestius inveniri possit in hujusmodi *sensibilitatis* vel *corporum*, vel quorumlibet aliorum *affectuum*, circumstantiis, quàm in imaginariis illis *scorbuticorum salium* commotionibus, & innominatis *Idiosyncrasiis*.

XXXV.

Ubi, licet utique etiam plurium aliorum affectuum, imprimis autem *fæmineorum*, & quorumlibet *hæmorrhagico-spasticorum*, maximè verò jam *adsuefactorum*, promptitudo ad turbulentos successus, maximoperè attendenda veniat;

ta-

tamen præcipuam omnino in hoc genere circumspectionem exigunt, imò postulant veluti seorsim prorsus, FEBRES, & nominatim quidem *acutæ*: Specialissimè autem *opportunitates* illarum *periodicæ*, juxtà *quaternarios* & *septenarios*: Sicut etiam, ubi aliquid *efflorescere* debet, & *initii* & *succesus* hujusmodi rationem decenter habere, omni utique modo convenit, nisi quidem longè alia, quàm tranquillis successibus sibi relictæ indolis febrium, forsan expectanda symptomatum syndrome, temere incitari debeat.

XXXVI.

Ante omnia verò profectò cavendum est, ne etiam *totius indolis* tanquam in genere, tam *subjectorum*, quàm *morborum*, nulla ratione habita, gravissimè offendatur; v.g. Fœminis non solum, imò puellis, sed etiam ipsis *mensium instantium*, imò *urgentium*, diebus, *vomitória*, *purgantia*, ne dicam eodem die, & prodigis dosibus, ingerendo.

XXXVII.

Ita certè memoratus nobis est ejusmodi casus, ubi puella 19. fortè annorum, cum pridie ejus diei, quo *mensēs* instabant, (qui etiam proxima una aut altera jam periodo moleste successerant) de lentibus coctis avidius ederat, cum hinc proximo die vehemente *anxiâ angustia* præcordiorum corriperetur, cum *torminosis* etiam, valdè gravibus, inprimis autem *tensivis*, abdominis cruciatibus; cum etiam præcedente die *alvus* non successisset, & *Clyster* commendatus, nec patienti æque placeret, nec etiam, malà fortunâ, pro satis tempestivo ejus usu, fœmina, quæ aliàs fœminis in hoc negotio ministrat, præstò esset: consultus in rem præsentem Medicus, præscripserit *Tartarum Emeticum* gran iij., cum autem ab hujus assumptione, plus duabus horis præter lapsis, nullus adhuc effectus sequeretur, appellatus denuò Medicus, ordinaverit *Resinæ Gialappæ* gr. xv. in vitello ovi dissoluta. Quibus interim assumtis, post paucas horas patiens vivere desiit. Notum autem est etiam exemplum, ubi

ubi fæminæ maritalatæ quidem à sex forte menfibus, fed fedecim ætatis plenis annis nondum potitæ, cum ipfi perfuafum effet, ut *salivatione* uteretur, *fana* revera de reliquo & fimpliciter gratis (minimè tamen civili fenfu,) ad hunc confenfum perfuafæ, propinantur à tonfore *pilule Mercuriales*, duobus diebus deinceps, (xv. grana Mercurii dulcis in unaquaque dofi fuiſſe indicabatur,) Incipiebat hinc patiens mox altera vespërâ, *faucium* tumore & *oris interni*, fimul autem & *angustiis magnis*, & totius corporis repentino *ardore*, & *summa inquietudine*, corripî: *tertio die* fuperveniebant *menfes*: quos ipſos etiam neque admodum sæpe adhuc experta erat, nec etiam unquam propemodum fine maximis *angustiis* & *anxiis cenaminibus* & *commotionibus*. Cum fæmina in fummis effet angustiis, credere non poſſum, quod narratur, voluiſſe medentes illius, ipſi adhuc unam doſim *pilularum* harum fumendam perfuadere, quarta die, qua menſes ſub ſuis, & *ſalivatoriis*, illis repente concitatis *angustiis* corporis, & inſuper *animi*, adhuc fluebant. Ejus autem diei nocte circà gallicinium illa mortua eſt. Nicht wie die Bauren ſagen / von heeler Haut. 2c.

XXXIIX.

Eò magis autem evitanda etiam eſt illa, per hodiernas morum ataxias vulgatiffima, non ſolum inconditè *observandi*, ſed etiam *commendandi* promptitudo; qua ſine ullo diſcrimine, vera *temeritas felix*, ſeu uno aliquo, rariùs altero, exemplo, non immediatè dignum eventum aſſecuta, tanquam pro eximia *regula*, & mox quidem etiam *universali*, allegatur imò *præſcribitur*: aut, quod per *ſpecialiſſimam* aliquam præſentem circumſtantiam ſeu indicationem ſinceriorẽ, in uno aliquo tali exemplo etiam rectè geſtum eſſe potuit, ſed unicè *ſecundum hanc circumſtantiam*; illud neglecto deinde hoc *reſpectu*, *fimpliciter* ita ad generalem potiùs affectuum talium conſtitutionem tranſfertur: Et non
D tam,

tam, ut sub certa conditione tolerabile, sed ut sub *absoluta* morbi specie simpliciter *utile*, prædicatur.

XXXIX.

Eventus autem, qui è malè observata huiusmodi *Teneritudinis* atque *Sensibilitatis* modesta tractatione, resultant, sunt vel ingens patientium talium *debilitatio*, *repentina* æquè, atque *diuturna*; adeò, ut vel eodem prompto successu affectus, tanquam nuda *virium* irrevocabili *amissione* penitus deficient: vel præter omnem reliquam similiter ægroantium indolem, in *diuturnos languores* tam *vitalium* atque *nutritivarum* actionum, *anorexias* gratuitas perpetuas, *atrophias*, *lassitudines* summas, *somnos*, vel *debilissimos*, vel *stupidos*, ceterum nihil *refocillantes*, imò totius etiam *animi tædiosum* languorem, conjiciantur.

XL.

Tum etiam morborum *typi*, usitati *mores*, imò *schemata* tota, pervertantur, è *simplicibus compositi*, è *chronicis* aut facilioribus *acuti impetuosius*: aut contrà, è *brevioribus*, & ubicunque aliàs nihil turbati, citrà vitæ amissionem decedunt, *brevi periodo* desinentibus, *chronici* non solum aliàs ad talem successionem *inusitati*, sed etiam ipsa deinde suâ, quam adhuc præ se ferunt tota indole, *heteroclitici*: imò, cum hoc nomen hodie vulgò prædicetur, vere *maligni* è *benignis*.

XLI.

Quamlibet autem circà præcipuam contemplationem *Teneritudinis* talis, seu *minoris* ita *firmitatis*, singularis utique consideratio videri possit deberi inconditis *exagitatio-nibus* atque *commotionibus*; asseveramus tamen omnimodo, nec omittendas etiam esse *cautelâs* circà *Motus*, in *sensibilibus* ejusmodi œconomiis *spontè* magis coortos, non temere *turbandos* aut *comprimendos*. Quamvis autem negotium hoc *motuum*, per debitos *successus*, ad quos potius *promoveri* debent, quam ab illis *deturbari*, non solum *salutarium*; sed

sed revera etiam vix meliore inventione *compensandorum*: meliore autem *practico* successu, qui Theoriæ forte formatæ felici effectu respondeat, minime impetrandorum: Quamvis, inquam, horum *motuum* negotium, à vulgatis hodiernis Theoriis adhuc longissimè absit: utpote in quibus potius omnia, de quibus loquimur, pro *ipsius morbi*, directis malis *effectibus* declarantur: Didicerunt tamen plerique, qui vel paulò intentius ad *Praxin* applicant animum, quod non solum directæ *adstrictoriæ* cohibitiones variorum conaminum excretoriorum, in variis *subjectis & affectibus*, imò diversis subjectis in *iisdem affectibus*, inexpectatos peiores effectus exhibeant: sed etiam ipsa penitus *Narcotica*, sæpè tales effectus edant, in talibus constitutionibus, quales nemo temerè nec expectarerit, nec laudaverit.

XLII.

Sicut autem de intempestivis directis *cohibitionibus* horum generum *motuum*, jam solertiores Practici satis agnoverunt, quanta locum ibi meritò habeat circumspectio: Ita non defunt tamen, partim propria solertia consideratiores, partim assiduis tandem exhortationibus quantumcunque emoti, qui etiam illam denique maligniorem efficaciam assequantur, quæ per *Narcoticorum*, non solum *nihil necessarias*, sed potius planè *periculosas* oblationes, tum passim, tum imprimis, de quibus nobis sermo est, *infirmioribus* atque *sensibilioribus* talibus, conciliatur.

XLIII.

Ut enim taceamus perversiones totius sinceræ *indolis* atque *typi* morborum; quæ partim in *acutis* Febribus, partim in *arthriticis* affectibus, partim in *spastico congestoriis*, illis qui animum decenter advertunt, satis evidens, communiter est: Imò *contumaciam* etiam, quàm non solum insolitam, sed & velut *inevitabilem* certe *incurrigibilem* sæpenu-

mero post sese trahit, quæ etiam meliore atque convenientiore qualibet posthac methodo, longè difficilius ad meliorem frugem reducantur, quàm si nihil tale præcesserit, (valet autem inprimis de *narcosi* in *mediis* affectibus *spastico-artriticis* exhibitis,) posteritatis maxime circumspectiori observationi commendemus: Est utique notissima inter omnes illa inprimis *intempestivè* datorum *opiatorum* efficacia, *infirmioribus* inquam, aut *sensibilibioribus* indecenter obsectorum, ut inde in repentinas *virium jecturas* seu *debilitationes* conjiciantur, è quibus vel plane non ad se revertantur, sed funestum exitum fortiantur: vel certè in longas *infirmittates*, *languores*, omnimoda *fastidia*, hinc incidant, & *hecticos*, *atrophicos*, *paralyticos*, *obliviosos*, *apoplecticos*, *suffocativos*, eventus tandem experiantur.

XLIV.

Denique valet etiam hæc consideratio, circà diversitatem medicamentorum ipsorum, plus aut minùs *presentaneæ efficaciæ*. Ubi nempe Remedia, quæ etiam alioquin neque *inusitata*, nec etiam *per se* simpliciter admodum *vehementia*, toto tamen genere utique *activiora* existant, *talibus* constitutionibus, gravissimas omninò turbas conciliare valeant. Ita enim v. g. cum Foeminæ teneræ admodum constitutionis corporis, præscriptum esset vinum laxativum, cui loco aliorum Purgantium, *uncia una Rad. Helleb. nigr.* inerat; de quo etiam, altero mox ab infusione manè, vitrum ordinarium assumerat sine omni effectû; cum illa quidem vesperâ nodulum *expressisset* manibus, & sequente manè de novo eandem quantitatem ebibisset, nempe duas & dimidiam fortè uncias, incidit hinc in *Choleram* adeo vehementem, cum *vomendi* & *egerendi* primò quidem *actibus*, posthac autem *conatibus*, tot atque tantis, cum *cardialgicis* atque *colicis* symptomatibus ita *immanibus*, ut jam pro deplo-rata haberetur, quamvis tamen divino auxilio iterum restituta sit.

XLV.

Unde quidem & circa talia, inprimis autem quæ *ambigua* prorsus in his generibus sunt energiæ, maximè certè locum habere debet talis circumspectio, ut in *tenerioribus* ægris illa non indifferenter in usum trahantur. Interim, est etiam adhuc peculiari circumspecta administratione opus, circa, si non *subjecta* æque patientium, tamen *species affectuum* ita sensibiles, ut nihil tempore minùs opportuno instituat. Ubi non solum Medicus discretionis impos aut immemor, hallucinari ita potest, quando *tempore præpostero*, medicamenta quoquo modo commoventia offeruntur: cujus certe rei abunde passim est exemplorum *Vomitiorum*, in ipsos *paroxysmos* datorum, quæ 60. 70. vicibus, ad *sanguinis vomitus*, ad *syncopes*, operata sint: *laxationum* in *petechizantibus* 5. 6. 7mo die datorum, (pro præoccupandis deliriis,) quæ in horas magis incrementa, quantumlibet interpositis etiam *Anodynis*, tamen proximo aut tertio die *funestos* exitus habuerunt: De *Vomitione*, *Purgatione*, *Venesectione*, *Sudationibus*, *Anodynis*, METHODO, (nempe 2. 3. diebus deinceps) adhibitis, in corporibus *diffusis*, *plethoricis*, *otiosis*, *vinosis*; aut *gracilibus* etiam atque *debilibus*, funestum exitum pedissequum nactis, &c. Sed etiam *assistentes*, præscripto Medici qualitercunque generali insistentes, non consideratis specialibus *incidentibus* circumstantiis, *intempestivas* tales *comotiones* ita introducunt, unde deinde ab impudentibus hominibus temerè in Medicum culpa detorqueatur. Quæ omnia proinde ex hoc fonte prudenter atque peritè primò æstimanda, deinde etiam examinanda veniunt.

XLVI.

Est itaque, ut totum omninò rei cardinem adhuc semel paucis complectamur, USUS hujus considerationis *Teneritudinis*, *Sensibilitatis*, *Infirmitatis* ad importuniora quæcunque toleranda, uti passim in personarum *texturâ* at-

que *structurâ*, *humorum* atque *morum* habitu, *morborum* indole universalî, tum etiam *mensurâ*, particulari *progressuum* atque *successuum*, imprimis plus minus exquisitis *terminis* circumscriptorum, & *remediorum* ad tales respectus diversa energia; Est, inquam, hic usus in harum rerum æstimatione, uti ferè *varius*: ita passim omninò *necessarius*, adeò quidem, ut nisi rectissimè perpendatur æquè atque observetur, neque *intelligi* satis possint varia, quæ hinc inde eveniunt, *phænomena*: nec etiam satis provida & verè *proportionata medicatio* institui: aut, ne potius *damna* inferantur, sufficienter caveri. Ubi interim, uti justissimum est has harum rerum *æstimationes*, verè, quod ajunt, in numerato habere, & secundum illas omninò actiones suas Medicas instruere: Ita odiosum prorsus est & simpliciter intolerabile, adversus hujusmodi res non solum temerè procedere, sed etiam, ubi illæ per imperitiam proculcatæ sint, non tam errori colorem, quam perversissimis exemplis stabilimentum sive quærere, sive præstare: Quorsum certe propriè spectat paræmia illa honesta: quod *errare humanum sit, perseverare vero in errore, perditum.*

T A N T U M.





S*ic sua mi Rehfeldt, vendit DEUS
ecce labore
dona, & post luctam, gloria parta
venit.
Præda Tibi Doctor facta est, quod
gratulor, & sic
Quod bene sudantes promeruerè,
tenes.*

*Ita Clarissimo Domino Doctorando, Amico suo
æstumatissimo scribit*

C. C. ACHUSIUS,
Med. Cult.

M*ein Freund;*

Es ist bisher ein alter Brauch gewest /

Daß man zum Doctor sich gern Verse machen läßt /

Wiewohl nun zwar ein Vers / voll wünschender Gedanken /

Nicht einen Doctor macht in der Gelehrten Schranken /

So will die Freundschaft doch / die uns zusammen bindt /

Daß dieses Blat sich hier / sonst wider Willen findt;

Drum schreib ich nichts darin von Tag und Nacht studiren /

Ich kan nicht auf Papier Dein Lob zum Sternen führen /

Wies manche würden thun / es ist auch schon bekandt /

Was du vor steten Fleiß auf Studien gewandt /

Die

Die kluge Welt weiß schon / was sie davon soll denken /
 Was soll man sich denn erst mit vielen Reimen kräncken;
 Was muß ein Arzt nicht thun? Er spielt mit der Natur /
 Er forscht dem Abgrund nach / ja der Metallen Spur /
 Er lernt der Kräuter Brauch / der Menschen inneres Wesen /
 Und wie aus allen dem ein Mittel wird erlesen /
 Wenn einst des Menschen Leib / der doch die kleine Welt /
 In den Verwirrungs-Klump der Lebens-Geister fällt.
 Wie? Muß nicht sein Verstand alsdenn in Ordnung bringen /
 Die wankende Natur / mit rechten Wunder-Dingen;
 Dis schreibt schon jederman dem Ungedencken ein /
 Obgleich ein lahmer Reim nicht erst darff Zeuge seyn.
 Was aber will ich denn? Was will die Feder schreiben?
 Was vor ein Zug soll mich denn jetzt zum Reimen treiben?
 Mein Freund / so sag ich denn / ich ehre Deinen Ruhm /
 Ich rühme Deine Kunst / ich lobe Dein Studiren /
 Doch schätz ich höher noch der Freundschaft Eigenthum /
 Drum laß abwesend auch die Freundschaft Dich regieren.
 J. Bolder / L. L. Cult.

